

Post branchias in utroque latere unam, duos digitos longam et totidem latam, subrotundam et carnosam: quas junctas in medio paene infimo ventre, unica spina singulas firmatas: unam mediocrem post anum spina munitam. Septima est pro cauda, duos fere digitos longa et totidem lata, non secta sed extremo ambitu subrotunda. Tegitur squamu-lis parvulis per totum corpus, ad tactum glaber, nisi a cauda versus caput digitis fricitur. Totum corpus, caput, pinnae, cauda ex albo flavescent: et per totum variegantur maculis sanguinei coloris diluti; rotun-

dis, magnitudine seminis cannabis: quaedam etiam in ventre majores. Pinnae eodem modo maculatae in ambitu suo obscurius rufescunt. Figuram fere Auratae habet. Edulis est ac boni saporis.

Captus per trihorium extra aquam potest vivere: bihorium postquam mortuus esset, aperiebam illum et cor adhuc movebatur exemptum: cor situm erat statim post fauces, et aspera arteria in id inferebatur, eratque digitum remotum a reliquis visceribus per mediastinum; minimum utique et vix granum tritici aequans etiam quando spiritu inflatur.

CAPVT VI.

De Vubarana, Capeuna, et Acarapitamba.

TAB.
XXXIII.
1. 2. 3.
Idem H. B.
4. 5. 6. 7.

VUBARANA. Piscis figura corporis Truttae nostratis similis, ubique ferme aequalis crassitiei, paulum tamen in dorso exaltatus, versus caudam autem angustior. Corpore oblongo, quadrante cylindraceo: pedalis longitudinis, semipedem crassus. *Caput* acuminatum seu coactum, haud magnum: oculi stuferi magnitudine, pupilla nigra, circulo primum aureo, exterius argenteo: *Os edentulum* et lapis illi pro lingua. In medio dorso unicam habet pinnam duos paene digitos longam, unum anterius latam, trapezii figura, non tamen duris spinis firmatam. Post branchias in quolibet latere versus inferiora parvam pinnam oblongam et angustam obtinet, et duas tales laterales ad infimum ventrem e regione dorsalis: prope anum unam parvam. *Cauda* constat pinna furcata instar harengi, plus duobus digitis longa. Squammulas habet ordine lineariter secundum longitudinem corporis positas, ita affabre, ut ad tactum quaqua versus glaber videatur. Superne si aspiciatur olivacei est coloris, at eminus aut lateraliter si intuearis, plane argenteus ac splendens videtur, et dorsum caeruleuscit ex argenteo: venter plane albus: branchiae ita glabrae sunt, ut laminae argenteae videantur.

Affatus boni est saporis, nec opus est desquamare: coctus non ita

commodus ob multitudinem spinarum per carnem disperfarum.

CAPEUNA. Piscis corpore oblongo non lato, qui in septem digitorum longitudinem excrescit. *Os* illi obtuse acuminatum; habetque in superiore atque inferiore mandibula unam seriem minimorum denticulorum: tota cavitas oris cum lingua sanguinei coloris insignis: *Oculi* illi parvi, stuferi magnitudine, crystallini, circulo partim argenteo colore variegato. *Pinnas* obtinet septem: in quolibet latere post branchiam unam oblongam, tenuem quasi triangularem: duas triangulares in infimo ventre; unam post anum firma spina munitam: unam per dorso longitudinem excurrentem, cuius anterior medietas spinis munita, quem recondere potest, posterior mollis et fine spinis: cauda bicornis, molli pinna. Tegitur squamu-lis parvis argenteis, in quibus aliquid aurei transplendet. In quolibet latere habet duas lineas crassas aurei coloris, unam a summitate oris per oculos et medium latus tendentem ad caudam, alteram magis superius per dorso latum pergentem. In summitate capitis livescit. Pinnae omnes sunt cinereae: *Venter* albus ut et ejus pinnae.

Coctus boni est saporis. Capitur in mari inter scopulos.

ACARA